



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

Proloqvium De huius operis occasione, initio & progressu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

PROLOQVIVM

De huius operis occasione, initio
& progressu.



Um à plurimis annis pro affectu Frisiae nostrae Apostolorum (Candide lector) vitam Sancti Sviverti, quae apud Surium extat i. Martij sub nomine S. Marcellini Consodalis, attentius perscrutarer, deprehendebam in eo aliquot commissa cōtra testatam probatissimorum historicorum fidem, & quo magis progrediebar, eo maiora errata emergebant, ita vt non solum iam corruptorem, aut imperitum interpolatorē, sed Pseudomarcellinum, qui sub nomine Sancti Marcellini ea in orbem protrusit, inuenisse viderer, atque ea in apicum deducta palam intimare & refutare cogitabam; verebar non nihil argui temeritatis, & quod verebar, accidit. Arguebar enim quod auctorem à plurimis annis & à praestantissimis viris laudatissimum, adeo conculcarem & ab inolitis opinionibus longè recederem. Verùm occurrebat illud Iustiniani in codice lib. i. de veteri iure enucleando §. 6. dicentis: *Sed neque ex multitudine auctorum quod melius est & equius iudicatore, cum possit forsitan & deterioris sententia & multos & maiores in aliqua parte superare.* Ex quo monito deducit Nauarrus cap. 27. cui consentit Sanchius lib. 3. cap. 44. numero 2. cum plurimis alijs apud eum citatis, communiorem existimari opinionem à sex doctoribus ex professo rem tractantibus, quàm à quinquaginta sola fere priorum auctoritate

Fortitate ductis: & merito; solent enim multi ex aliorum infida fide, sine discussione, sine examine sua transcribere, ac per manus sequacium posterorum transmittere, serie etiam multorum temporum, ita ut eorum traditio communis notitiæ, & pro compertâ habeatur, quam contra niti insolentiæ specimen præ se ferat. Accedebat quod viri magni, inter quos Molanus, disertè edicerent acta Sancti Svviberti esse manifestè vitiata. Itaque ijs animatus ad singula capita integro apposito textu, refutationem institueram & commentarijs multa illustraeram. Exhibui ea censoribus alijsque historicè peritis, qui quidem studium meum probabant, verum ne forte in labefactionem fidei vitarum de alijs sanctis conscriptarum vergeret, suadebant alia methodo id præstarem. Acquiescui: & sub aliâ ea inuoluere cœpi, & quodammodo scholastico modo per dissert. etiam de alijs cooperantibus veteris Frisiæ Apostolis procedere. postmodum ad aliud opus à superioribus me emisso, exorsam telam imposita conditio præcidit, vel abrupta, & quidem plurimis annis, verius: nunc post aliquot lustra elapsa, tam Prælati, quam aliorum hortatu dissiueta studia resumere, manum rursus apponere & ad debitam metam adducere sum persuasus. Stimulabat me etiam quod cum refutationem supra memoratam à me concedi petissent aliqui docti, etiam Vltraiectenses, qui cum alijs litterarum commercia tractabant, qui potuerunt alijs communicasse aut suggessisse, ac cum in manibus diu habuissent, postmodum emanarunt ab illis libri, in quibus hîc à me confutata legebam. Nolo affirmare ea ex me, aut per me deprompsisse; possunt enim plures eundem spiritum sortiti, veritatem, quæ pluribus, præsertim feridè studiosis, se ostendit, attingere. Attamen hoc profiteor, me ex nullo recentiore hæc mea hausisse. studio meo fauente & adiuuante, spe-

ro

ro; Deo, omnia elaborasse. Fateor interim dum meum opus apud me per duo decennia haeret, ex recentioribus prout in manus veniebant, ad confirmationem meorum & augmentum subiade scripsisse, quos etiam non omitto citare.

Post primitus absolutam Marcellini seu Pseudomarcellini praefatam refutationem, incidi in librum P. Iacobi Gretseri de SS. Eistatensibus, ubi lib. 1. observationum multa istius Marcellini refellit, adeo mihi conformiter ut vno spiritu hic loqui videremur, quamquam illum antea nec legissem, nec vidissem. Vnico tantum à me discrepat de quo dissertatione 26. primusque est apud quem foccum, cothurnum, & larvam illi Marcellino adeo luculenter detracta legi, primusque, est quodsciam (ante me scripsit) qui illum Pseudomarcellinum intitulat. Dolendum hactenus etiam doctissimis viris insigniter ab eo esse impositum & etiam clarissimo Baronio, qui illum per omnia sequens fidissimum scriptorem nuncupat, cum tamen ab eo in fluctuationes & contrarietates impellatur, ut dissertatione 88. annotauimus. Alias annotat Gretserus supra, ubi cap. 11. est haec: Tomo 8. ex lectione Marcellini egressum Willibrordi & Wunibaldi ex patria ad annum Christi 690. refert. & anno 697. eundem Episcopum Eijstetensem creat. Rursum Tomo 9. Authoris qui vitam S. Bonifacij scripsit verba commemorans, euocationem ex Anglia reuocat ad annum Christi 725. Quae duo cohaerere non possunt ut per se liquet, & mirum est, inquit idem Gretserus, accuratissimum Baronium hoc non aduertisse; nam si vera sint quae Author nomine S. Marcellini velatus narrat, ruant oportet quae scriptor vitae Bonifacianae seu Othlonus prodidit, & vice versa. Vnum tantum vitium in eo aduertit Molanus, nimirum de Egberto missore non verè inscripto Archiepiscopo Eboracensi,

racensi, in reliquis omnibus tanquam veracem scripto-
rem sequens. Recentiores multos quotidie lego eidem
tanquam veraci relatori se credere. Et non solum Acta
S. Sviverti ab illo Marcellino tradita falsitate resper-
sa sunt, vnde acri censuræ meritò obnoxia, sed & epi-
stola S. Ludgeri primi Episcopi Monasteriensis sub Ca-
rolo Magno ad Rixfridum Episcopum Ultraiectensem
de relatione S. Sviverti in Diuos, miraculis post mortem,
quam prima Martij dicto Marcellino annectit Surius que-
que à pluribus magni fit, sæpe mihi fuit suspecta & mo-
dò in Surio recentiori & aucto legitur ad marginem Epi-
stolæ: *Hanc epistolam non ipsius S. Ludgeri, sed supposititiam ex-
istimat Christoph. Brouwerus in notis cap. 32. ad vitam S. Ludgeri
in Syderibus Sanctorum.* Ita amant quidam sui ingenij fabri-
cationes sub alieno nomine proflare. Ego fucos & spe-
cioso titulo prostitutas pseudologias dudum conatus fui
in lucem proferre & nunc pro modulo ago, simul ob su-
pra dictam rationem, res, loca, personas, tempora in eo-
rum actis occurrentia, explicare, illustrare: quæ à vero
abire videntur, ad trutinam reuocare, veritati, quan-
tum datur, restituere. Nec hoc derogat honori Sancto-
rum quos scimus Christi cohæredes in cælesti regno tri-
umphare. Diligunt ipsi veritatem, nec gaudent falsis ge-
stis prædicari.

Quod si in hisce meis inquisitionibus siue dissertati-
onibus quouis iactu album non attingam, agnoscat Le-
ctor me adnissum esse res ab æui nostri memoriâ remo-
tissimas, ac spississimis obliuionis pariter & ignorantia
tenebris subinde inuolutas, exacta saltem ad probabilita-
tis cotem ratione, historicâ fide repræsentare, paratum
certiori veritati, vbi irradiauerit, herbam cedere; re-
colendo simul aureum illud sapientissimi Patris Augu-
stini effatum: *Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam in*

qua

quã magis amabo inspici à rectis, quam timebo mori à peruersis
Gratanter enim suscipis osculum columbinum pulcherrima & mo-
destissima charitas: dentem autem caninum vel euitat cautissima
humilitas, vel retundit solidissima veritas. Magisque optabo à
quolibet reprehendi, quam siue aberrante, siue ab adulate lauda-
ri. Nullus enim reprehensor formidandus est amanti veritatis. E-
tenim aut inimicus reprehensurus est, aut amicus. Si ergo inimicus
insultat, ferendus est. Amicus autem, si errat, docendus; si docet, audi-
endus. Proœmio in lib. 2. de Trinitate.

Nec mireris, Lector, hîc plurimum agi de SS. Egber-
to, Wilfrido, Willibrordo, Sv̄viberto, Bonifacio, cum
tamen de omnibus veteris Frisîæ Apostolis scribere pro-
fiteamur, contigit hoc, tum quod sodales, qui ab Egberto
emissi cum S. Willibrordo ex Hyberniâ Frisiam intrarunt,
secundum maximam partem ignorantur, vt in hoc ope-
re ostendetur: tum quod illi, vel Duces aliorum, vel E-
piscopi fuerint, & plura ab ipsis facta reperiantur. Vnde
copiosorem differendi materiam suppeditarunt. Acta
quidem S. Bonifacij, quæ duobus libris comprehendit
Othlonus, videntur aliorum multitudine excedere, attam-
en quia pleraque in Germania superiore sunt peracta,
nos ijs omisis, attingimus solùm ea quæ ad Frisiam no-
stram spectant.